

*G. A. Hentzen* Donat. i. t. i. c. 4.

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>I</sup>O IN AVGVRALIS

DE

*3, A. 57. 1884  
1752, 4*

DONATIONIBVS  
INTER VIRVM ET VXOREM 20  
NON IPSO IVRE NVLLIS

QVAM

SVB PRAESIDIO

D. GODOFREDI LVDOVICI  
MENCKEN

SERENISS. DVCI BRVN<sup>O</sup>. ET LVNEBVRG.  
A CONSILIIS AVLICIS ANTECESSORIS  
IVRIS ORDINAR. FACVLTATIS  
IVRID. ASSESSORIS  
ET ACADEM. H. T. PRORECTORIS

PRO

GRAD<sup>V</sup> DOCTORIS

AD DIEM XVII NOV. A. I. S. CIC<sup>CCCLII</sup>

IN IVLEO MAIORI

DEFENDET

HENRICVS FRIDERICVS HAKE  
BREMENSIS

HELMSTADII EX OFFICINA SCHNORRII

DISCERNATIONE  
DONATIONIAS  
INTER VIRUM ET VIXORUM  
NON HSE IARTE NATIS

GRADUS  
SAB. TRIVARIUS  
DODGERDI TUDACI  
MENCKEN

SERMONES. QAC. BEYOMA. ET. XANATHING.  
A. COMSILIS. ALVIZ. MUNSTERIANUS.  
WILHE. SCHMID. LAMMUTHERUS.  
JACOB. ALEXANDERUS.

ET. SACRA M. ET. SACREDOTIS.

PRO  
GRADU. D. C. TOLIS  
DE. DEIN. S. M. MON. M. C. D. S. C. E. T.  
IN. IAT. O. MAIORI  
F. R. T. S. T.

HIERICAS. BIBLIDERICAS. HART.

HERMOSA. H. ET. OTICINA. SCHMID.

PATRONIS S A I O R E I V A T O R I B V S  
PERILLVSTRI BVS  
PER QVAM MAGNIFICIS  
EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS  
AMPLISSIMIS  
D N . P R A E S I D I  
D N . C O N S V L I B V S  
D N . S Y N D I C I S  
D N . S E N A T O R I B V S  
REIPVBЛИCAE PATRIAЕ  
P A T R I B V S  
LONGEN MERITISSIMIS

PATRONIS ATQVEI FAVTORIBVS  
SANCTA REVERENTIA  
VENERANDIS ET COLENDIS  
EXCELLENTISSIMIS CONSALITISSIMIS  
AMPULLISSIMIS  
QVA PAR EST OBSERVANTIA  
DN P R A T S I D I  
D N G O N S A E P A  
D N S Y N D I C I S  
D N S E N A T O R I B A S  
REIPUBLICAE PATRIAE  
T A R I A S  
HENRICVS FRIDERICVS  
M H A K E .  
EXCELSITISSIMIS



DE  
DONATIONIBVS INTER VIRVM  
ET VXOREM NON IPSO IVRE  
NVLLIS.

§. I.

A Itas in omnium fere Iure consultorum a-  
nimis radices egit sententia: QVOD DO-  
NATIONES INTER CONIVGES IN-  
VALIDAE, IMO, IPSO IVRE NVL-  
LAE ROMANORVM LEGIBVS SINT.  
Equidem ab his diuortium facere con-  
stitui. Grauitas periculi, quod subeo,  
timorem animo iniiciebat, quem rela-  
xauit seculi humanitas. Seruitute coe-  
ci obsequii propulsata, libertas libere  
sentiendi delecat. Quid est praestantius bonitate et be-  
neficentia bene posita? Id circa et doni datio eximum  
beneficii genus habetur, et laudi ducitur. Leg. 214. D. de  
Verb.

A

*Verb. Signif.* Vti vero omnis virtus nomen mentitur, nisi iustitia comes sit, ita et donatio immoderata in vitiuperationem venit. Impie profecto agit, qui, vicia lacessitrus, donat; intemperanter bona donis profundens, insanit. Contra ea, qui ad verum amorem significandum donat, iuncta beneficio mediocritate, tanto maiori laude ornabitur, quanto dignius hoc benefactum mortalibus aestimatur. Parum abest, quin turpe dilectu reputem, quod Romani inter coniuges, ad mutuum amorem electos, reprobauerint, quod alias inter amicos in honore ponunt. Nec mores, nec Leges tale iniquitatis monstrum alunt. Ecquid ergo est, quod tanti nominis Iure consultos circumdedit, ut virtutem inter virum et uxorem opprobrium fieri putauerint? Errant. Quoad autem intelligere mihi datum est, uno ex fonte errorum riuuli ducuntur: quod antiqua tempora mediis, media nouis immiscuerint. Non, quod tanta ignorantia labefactatam gloriam meritis celeberrimorum virorum opiner, vt quid conuentioni in manum, quid moribus, quid Senatus Consulto, Antonino et Caracalla auctoribus condito, quid tandem Iuribus Codicis debeatur, obliuioni tradiderint; sed quod, immutata licet rerum facie, regulam a vetustate oriundam, nouis, imo nouissimis scitis accommodauerint. Factum inde est, vt nec Legum interpretationes regulis respondeant. Quotquot enim commentationes perlegi, nulla fere diuersam Iure consultorum, quorum ex scriptis Digesta prodierunt, aetatem memorat, certe non respicit. Concordiam omnes meditantur, ubi discordiam ex temporum interuallo, iuriumque vicissitudinibus eruere par erat. Nullus dubitat, in hoc argumento diuersa tempora diuersam meditationem postulare. Ideoque curata animi pensitatione opus est, quo Iure

Iure consultos aetate dispares seiungamus. Iure consul-  
tus nempe, qui ante Antoninum et Caracallam floruit  
ad explicationem Senatus consulti, donationes inter vi-  
rum et uxorem ordinantis, nihil penitus facit, nisi ut an-  
tiqui iuris commutatio pateat. Coaeuos vero, aut po-  
sterioris aetatis, ad utrumque tempus pertinere, me ta-  
cente intelligis. Quanta vero haec non mediocris ne-  
glectio erroribus fomenta dederit, pronus ex tractatio-  
ne patebit. Causam, quoad viribus potero, endabo,  
ita tamen, ut nec liberalitas penitus ex coniugum ani-  
mis expellatur, nec spes largae messis, vel auaritiae,  
vel luxuriae, vel lasciviae praebeat. Furca est expel-  
lenda muliebris rapacitas, quam *P L A V T V S in Milite glorioso Aet. III. Sc. i. v. 97.* et *SENECA Lib. VII. de Benefic.* perstringit: auro vero pretiosior habenda *Nigrina*,  
cum temperatione generosa, a *MARTIALI Lib. IV. Epigr. 75.* laudibus exornata:

*O felix animo, felix Nigrina marito,*

*Atque inter Latias gloria prima nurus.*

*Te patrios miscere iuuat cum coniuge censu*

*Gaudentem socio participique viro.*

*Arserit Euadne, flammis iniecta mariti,*

*Nec minor Alcestin fama sub astra ferat.*

*Tu melius certe meruisti pignore uitae:*

*Vt tibi non esset morte probandus amor.*

### §. II.

Donatio est actus, quo aliquid ex liberalitate in ac-  
ceptantem transferrur. Non comprehendi donationes  
propter nuptias, aliasque eius generis, facile est intelle-

**Etu.** Nolui proprias significations impropriis immisce, re. Quantum vero donum inter et munus sit discrimen-  
curate docet MARCIANVS Leg. 214. D. de Verb. Signif.  
*Munus*, inquit, *proprie est*, quod necessarie obimus, *lege*,  
*more*, *imperioue eius qui iubendi potestatem habet*: *Dona*  
*autem proprie sunt*, quae nulla necessitate iuris, officii,  
*sed sponte praefstantur*, quae si non praefstantur, nulla re-  
*prehensio est*, et si praefstantur, plerumque laus inest. Quo  
nomine, licet non ignorem, Marcianum eo vixisse tem-  
pore, quo iam se<sup>t</sup>tarum feruor deferuerat, adeoque,  
ut passim exempla docent, herciscundis Iure consultis  
interfuisse, tenacem tamen in retinenda vocum proprie-  
tate, et hac ex parte Se<sup>t</sup>tae Proculianae proniorem eum  
conspicimus. Inde MARCIANVS, cum primo quid ap-  
posite dicendum sit exposuerit, deinde, ingemiscens quasi  
de remissiori aetate, loquitur: *Sed in summa in hoc ven-  
tum est*, ut non quodcumque munus id et donum accipia-  
tur, at, quod donum fuerit, id munus recte datur. In-  
vasisse autem hanc verborum perturbationem PAVLVS  
Leg. 18. D. de Verb. Signif. et VLPIANVS Leg. 194. eod.  
demonstrant.

### §. III.

In diuidicanda donationum validitate, requisita ma-  
xime in considerationem veniunt, eo redeuntia: In do-  
nante et voluntas et facultas requiritur. Facultas vero  
non personas tantum, quas vel natura impediri, vel  
legibus prohiberi scimus, sed res quoque, quae le-  
ge, conuentione, vel ultima voluntate eximuntur, re-  
spicit. Deinde et donatarii acceptatione opus est. Hunc,  
nisi intellectione careat, natura nihil impedit. Leges  
tamen quosdam inter homines, speciali ex ratione, do-  
natio-

nationes cohibent. Quae, cum sūsus in omnibus cōm-  
mentationibus tractentur, integra non commemoro;  
Et, quam velle, ut et antiquam illam controuersiam,  
qua agitatur quaestio: anne donatio ad modos acquiren-  
di dominium iure referatur, sicco pede transgredi pos-  
sem. Sed, cum penetrat in causam peragendam, nihil  
dubito asserere: donationem pacti speciem esse. Rei ve-  
ritas velinde patet: quod pactum duorum plurimum in  
idem placitum consensus fit Leg. 1. §. 2. D. de Paſt. Quod  
autem donationi conueniat haec Legum definitio non  
ambigitur. Haec dum ita sunt, contra illos merito fa-  
cio, quos donationem mediis acquirendi dominium an-  
numerare non pudet. Decebat titulum, siue causam ac-  
quirendi, dicere donationem, non ipsa tantum re, sed  
et IUSTINIANO docente in §. 40. J. de Rer. Dni. his ver-  
bis: *Sed si quidem ex causa donationis, aut dotis, aut*  
*qualibet alia ex causa tradantur, sine dubio transferuntur.*  
In promptu est dicere, unde error coaluerit. Inquit  
TRIBONIANVS Pr. J. de Donat. *Est et aliud genus ac-*  
*quisitionis donatio.* Ex quo factum est ut interpretes,  
modum acquirendi definitum credentes, operam na-  
vauerint, quo concordia redintegretur. Vereor, ne,  
consensum meditantes locorum, Leges in discrimen tra-  
ducant, ne honorem Triboniani feruaturi, gloriam con-  
spurcent.

## §. IV.

Adiutricem manum plerique commentantium attu-  
lerunt, pauci auxilium praestiterunt. A temporum vi-  
cissitudinibus conciliationem deriuat IANVS A COSTA  
Comment. ad Inst. ad pr. J. de Donat. atque sibi ipsi suaſor est,

ut haec *Tribonianii* verba de antiquo iure, quo donationes, paetorum nudorum indolem habentes, mancipazione, aut traditione siebant, intelligantur, nihil vero ad *Iustiniani* tempora pertineant. Eadem castra sequi videtur. *H E I.*, *N E C C I V S Antiqu. Rom. ad Instit. L. II. Tit. I. §. 22.* dum inter duodecim modos acquirendi Iuris Quiritium expresse donationem commenmorat. Haec omnia ad temporum rationem si dirigas, vera non sunt, si perpendere ad *Tribonianii* defensionem velis, sollicitant causam. Videamus quoad ea, quae de prisco iure relata sunt, iheritati consentiant. Maximum omnino antiqua inter et noua iura cernitur discriben. Olim enim donatio, solo consensu celebrata, ex genere nudorum paetorum habebatur, nihilque obligabat promittentem. Mancipatione demum, vel traditione adhibita, effectum ciuilem sortiebatur. Diuertit procul inde Ius Codicis, dum *IUSTINIANVS in Lege 35. l. 5. C. de Donat.* etiam promissiobus donationum, accidente acceptatione, virtutem dedit, ut efficax actio sit ad promissum adimplendum. Ex eoque paetum, ut vocant, legitimum promanauit. Recta haec sunt. Sed operam dando, ut donatio fuerit modus transferendi dominium, oleum perdis. Quod si enim donationi accesserit traditio, vel mancipatio, hae ipsae modum acquirendi constituunt, donatio causam, siue titulum praestat. Profecto, si donatio modus esset, consequeretur, in hoc uno negotio duos interuenire modos, cui sententiae Iurisprudentia Romana non suffragatur. Itane donatio modus erit acquirendi donationem? Tam autem hoc turpe est dictu, quam indignum foret, traditionem modum acquirendi traditionem esse contendere.

§. V.

## §. V.

Mediocres hi errores illi videbuntur, qui in THEOP.  
**MARCILII** Annotationes ad Institutiones ad Pr. Inst.  
 de Donat. inciderit. Non enim eam tantum iam ex-  
 plosam sententiam adoptauit, sed iuxta CVIACIVM vel-  
 licauit, in Obs. Lib. X. c. 28. negantem, donationem ju-  
 re nouo acquirendi modum esse. Audiamus egregiam  
 ad conciliandum Tribonianum inuentionem. Conten-  
 dit, Iustiniani aetate donationem solo consensu, sine tra-  
 ditione, perfici. Largior. Infert, transferri statim rei do-  
 natae dominium. Nego. Auxilium poscit a Lege 35. C. de  
 Donat. Monstrosa probatio. Eheu! Praeterquam enim,  
 quod nec verbum quidem cogitationem de dominio ex-  
 citet, sed Lex tantum donationem promittenti eius admis-  
 sionem iniungat, uti verba ipsa strictim common-  
 strant; ex eo quoque oppido contrarium patescit, quod  
*Iustinianus* duplarem causam obligationis ad satis facien-  
 dum promissioni donationis exhibit; alteram a stipulatio-  
 ne petit, alteram, ex nuda promissionis acceptatione,  
 noua hac lege ordinat; coequo modo donationem, nudo  
 pacto promissam, stipulationi effectu exaequauit. Quid  
 ergo inde probationis *Marcili?* Sisyphi faxum voluis.  
 Tantum enim abest, ut dominii probatio ex hac Lege  
 exculpi possit, ut potius euidenter obstat. **IVSTINI-**  
**ANVS** ita sancit: *Sin autem hoc minime donator expre-  
 sserit, siquidem stipulatio donationi inserta sit, ex eius auto-  
 ritate traditionem compelli fieri; Sin vero et hoc praeter-  
 missum sit, nibilominus ex Lege nostra necessitatem ei im-  
 ponit, etiam tradere hoc, quod donare estimauit: ut non  
 ex hoc iniurilis sit donatio, quod res non traditae sint: nec  
 confirmetur ex traditione donatio, sed liberalitatem plenam,*  
*et*

et secundum Legem nostram perfectissimam constitutam, necessarius traditionis effectus sequatur. Itaque constat ex hac sanctione: donatarium aduersus donantem agere posse ad tradendum, quo nempe dominum transferatur in accipientem. Eoque nomine inauditum foret, dominum eum esse, qui demum ad acquirendum agit. Non est causa cur dubites de verbis: nec confirmetur ex traditione. Procul a veritate distares, alium intellectum affingendo, quam quod confirmetur donatio, recte acceptata, per hanc Legem, etiam sine traditione, quo actio sit ad petendam traditionem. Ut ante traditionem translatum sit dominum, nullo iure credis, temere credis. Cogita quoque, quam differant verba: tradere: restituere.

## §. VI.

Ex his a me expositis, nisi nimis mihi assentior, indubitatum efficitur, has interpretationes a vera defendendi via aberrare. Quid sentiam, paucis dabo. Creditum indignum mihi videtur, Tribonianum, licet eum ab omnibus erroribus, in compilatione obuiis, purgare nolim, in tantum delapsum esse vitium, ut, capitalia donationis principia hoc in titulo traditus, ex antiquatis iuribus ea repetere voluerit. Non fugere eum potuit IUSTINIANVM per legem un. Cod. de iud. iure quirit. toll. omne discrimen, quod antiqua tempora dominium inter bonitarium et quiritarium statuebant, sustulisse. Constitutio haec sine die et consule Codici inserta deprehenditur. Evidem procluis non sum ad PETRI FRANCISCI LINGLOIS sententiam in Decis. L. ad hanc Legem, qui eam in censum quinquaginta Iustiniani decisionum refert. Meditacioni quidem Inscriptio, ad Iulianum Praefectum Praetorio directa, suffragari videtur, cum solita sit nouis Imperatoris

ris Decisionibus; Sed indoli, quam IUSTINIANVS in  
*g. fin. Instt. de Libert.* depingit, ex esse non responderet.  
 Mallem itaque eam in numero nouarum Constitutionum  
 habere, quae a Decisionibus, proprie dictis, multum  
 distant. Hoc tantum tuto assaram, hanc Constitutionem  
 ante Digestorum et Institutionum compilationem proma-  
 nasse. Incredibile enim est, si eo tempore distinctio in-  
 ter dominium bonitarium et quiritarium, in qua princi-  
 pale punctum Iurisprudentiae versabatur, pristinum tenu-  
 isset vigorem, quod in Digestis et Institutionibus, de re  
 hac praestantissima, nec vola nec vestigium intueniretur.  
 Cui itaque haec conjectura placet, facile intelliget non  
 excusandum errorem, si ex memoria obsoletorum deflu-  
 xerint verba in laud. *Opfo Inst. prolata.* Ponamus autem,  
*Tribonianum*, Institutionum compositionem dirigen tem  
 et adiuvantem, nihil hanc Constitutionem, forsitan quod  
 postea demum fuerit edita, respexisse; Supra tamen egi,  
 opinor satis, ut demonstrarem: etiam veteris temporibus  
 donationem causam tantum dedisse, aliosque insuper modos adhibendos fuisse. Eoque magis *Tribonianum*  
 offendit, quicquid ex hac causa ad defensionem  
 trahitur. Intacta autem et illibata gloria seruabitur, si  
*Tribonianii verba* de ratione, siue causa acquisitionis, in-  
 terpretetur; quem in sensum saepius in Iure nostro de-  
 flectere verbum: *genus*, docet BRISSONIVS; Eaque mihi  
 praestantior aliis videtur conciliatio. Scio ad dona-  
 tionem mortis causa haec verba restringi, de qua non  
 dubitatur, quod et olim, cum legis exaequaretur, ipso  
 iure dominium morte donantis transferit. Sed aegre in  
 has partes discedo, cum honor *Tribonianii* titubet.

His confirmatis principiis, deproperandum est ad exequendum propositum. Commemorat CICERO in *Topicis* duplex uxorum genus. Alterum earum, quae in manum mariti conuenerant, alterum, quae uxores tantum erant. In manum autem mariti triplici modo conueniebant uxores, per confarreationem, coemtionem, et usum. Operam huic peruestigationi nauandam leuarunt scriptores in antiquitatibus versatissimi, BARN. BRISSONIVS, HENR. BROVWER, ANTONIVS et FRANCISCVS HOTTO MANNI, veterem nuptiarum ritum, et connubiorum iura ex liquidis fontibus haurientes. Nostra tempora ornat Celeber. GRVPEN cuius elegantissima tractatio: de *Vxore Romana* exstat. Praestantissima ex omni vicissitudine temporum coegit; a me tamen impetrare non potui, ut nuncium illis mitterem, qui deductionem ad domum antiquae nuptiarum formae necessariam esse contendunt. Qua de re alio tempore dicam, hoc tantum monito: Leges ab ipso in *Praefatione* allatas, tanto minus auctoritatis praestare, quanto luculentius ipse demonstratum iuit in all. *Tract. Cap. VII. §. 2.* in *Legislatione Iustiniani* neque in *Pandeictis*, neque in *Institutionibus*, neque in *Codice* aliam speciem uxorum, quam earum quae uxores tantum habebantur, nullam earum, quae simul in manum conuenerunt, occurrere. Pereximius hic labor me, antea in hac scrupulosa re haesitantem, totum ad ipsius voluntatem composuit; nouam tamen, de qua dixi, dubitationem animo obmouit.

## §. VIII.

Quod si itaque donationes inter virum et uxorem, circum-

circumspecta temporum et iurium varietate, pensitamus,  
 aetas vetustissima, vigente conuentione in manum, pri-  
 mum occupat locum. Succedit altera, quae moribus de-  
 betur; Quam excipit Senatus Consultum ad Antonini et  
 Caracallae orationem factum. Postremo iura Codicis  
 considerantur. Videamus ergo, quid de donatione inter  
 virum et uxorem, cum uxor in manum mariti venerit,  
 statuendum sit. Non substituisse donationes facile liquet.  
 Quotquot vero Leges Romanae enarrant rationes, qui-  
 bus donationes inter virum et uxorem circumscribun-  
 tur, nulla harum conuentioni in manum accommodari  
 potest. Vna, et sola sufficit, sita in patria potestate, quam  
 per conuentiōnem in manum maritus nanciscebatur.  
 Manus namque potestatem significat, quod et leuiter tin-  
 etis notum est. Idcirco etiam uxorem in manu manci-  
 pioque mariti esse dicit GELLIVS No&t. Attic. Lib. 4.  
 c. 3. Et tanquam suus heres uxor viro defuncto succe-  
 dit, ex antiquissima Romuli Lege, docente DIONYSIO  
 HALICARNASSEO L. 2. et BALDVINO ad Leges Romu-  
 li. Iam vero omnino expeditum est, filium familias inter  
 et patrem, ob patriae potestatis vinculum, nullam ob-  
 tinuisse donationem, L. 1. §. 1. D. pro donato. Mansit et  
 hoc iure Codicis illibatum, L. 17. C. de Donat. nisi quod  
 filio in castra eunti donare permisum sit, L. 4. C. Famil.  
 hercifc. L. 1. C. de Caſtrenſi Pecul. atque morte patris,  
 donationem non reuocantis, confirmetur. L. 25. C. de  
 Donat. inter Vir. et Vx. Indubitatum itaque his quo-  
 que temporibus, quibus consuetum erat, ut uxores in  
 manum mariti conuenirent, donationes inter coniuges  
 subsistere non potuisse. Ex quo facile erit intelle&ctu,  
 PLVTARCHVM rem acu haud tetegisse, cum in L. 20.  
 de Praecept. connub. hanc reddit rationem: ut coniuges

nullius rei participes fierent, sed omnia communia iudicarent. Profecto, demonstrari nequit, vel antiqua, vel media, vel noua Romanorum tempora, veram inter coniuges communionem, et uniuersorum quidem bonorum, aliisque; tametsi non negem, aliquando coniuges per paeta dotalia talem societatem constituisse. *L. 17. §. 1. D. Solut. matrim. L. 16. §. 3. D. de Aliment. et cibar. leg.* Pessimo autem consilio haec ad conuentionem in manum traducuntur. Patria enim potestas maritis in uxores eius generis competens, quae omnium bonorum uxoris dominium marito vindicat, haud patitur hanc societatem. Nihil commoueor loco **DIONYSII HALICARNASSEI** *Antiquit. Rom. L. 2. c. 4.* et **COLVMELLAE** *de Re rustica L. 12. c. 1.* Vera bonorum societas exinde nullo negotio deducitur. Cum vero antiquum tempus haec loca sine dubio sapiant, credendum omnino est scriptores ad suorum heredum conditionem respexisse, quae effecit, ut sui heredes, quod nomen ipsum docet, viuente patre iam simul pro dominis rerum paternarum haberentur. *§. 2. §. de Hered. Qual. et Differ. L. 11. D. de Liber. et Posth.* His si compofueris, ut antea exposui, uxorem quae in manum conuenerat ex eodem genere heredum fuisse, facilis ad conciliandum via patebit.

### §. IX.

Transeo ad iura in Digestis commemorata. Prima statim *Lex in Tit. de Donat. inter Vir. et Vxor.* de receptionis apud Romanos moribus loquitur. Dicit **VLFIANVS** in *L. 1. all. tit.* *Moribus apud nos receptum est, ne donatio- nes inter virum et uxorem valerent.* Mores maiorum appellat in *L. 3. ei. tit.* *Latissime patet haec locutio.* Sed magno labore omnem meditationem, de diuersis in iure nostro

nostro eo nomine occurrentibus significationibus, instruit *Celeberr. IO. GOTHOFR. RICHTER* in *Dissertatione elegantissima: de Mores Maiorum.* Inter alias, ut occasio Legum tulit, expositas, haic meam facio: *quod Mores sunt ius populi Romani, quod ex diuturna similium observationum, ac institutorum usurpatione ortum erat, quodque tacito consensu populi, sine scripta lege, custodiebatur.* Conformabo hinc luculentae descriptioni expli- cationem Legum ex *Vlpiani* scriptionibus collectarum. Irrumpunt plerique in *CVIACUM* in *Paratil.* ad *Digit.* *de Donat.* *inter Virum et Vxorem.* Contendit nempe, nulla adiecta demonstratione, ex Graecia, atque Atheniensium Legislatore haec migrasse in Rempublicam Romanam; quin ex fonte Romanae Iurisprudentiae, Legibus nempe XII. tabularum petit. Evidet, si stricte dixisset, his Legibus expressim prohibitas esse donationes inter virum et uxorem, increpantium societatem adi- rem. Sed sagacitas huius viri, antiquitatibus familiaris, suauorem animo tradit cogitationem. Quo pressius loquitur *Cuiacus*, eo certius credi potest, eum causam a prima origine reuocasse. Quantum sit, quod Romani vel ex Hebraeorum, vel ex Graecorum scitis in suam utilitatem traduxerint, accommodauerint, et non raro in melius, vel deterius produixerint, non ignorant, quibus cordi est scire Iurisprudentiae Romanae stamina. Athenienses autem patriam potestatem in suis liberos exerceuisse, licet tanti rigoris, quem Romani induxerunt, plena non fuerit, forte quod benignius de liberis, naturali amore instincti, sentirent, dubitatione vacat. Docet illud locus ab *OISELIO* ad *Caii Inst. L. 1. tit. 3. §. 2.* ex *SEXTO EMPIRICO L. III. Pyrhon. Hypoth. laudatus,* atque ipse *DIONYSIVS HALICARNASS.* *L. 2.* compa- ran-

rando graecas Leges romanis, non diffitetur, graecos quoque patria potestate usos esse. Ex eodem vero *Dionysii* loco et hoc luculenter euincitur, pleniores, et seueriores quodam modo effectus a Romanorum Legibus ortum ducere. Fons et caput est in Legibus *Romuli*, ut fragmenta, quae extant *Iuris Papyriani*, ostendunt, ea que facit *Lex XVII. a PARVULPHO PRATEIO in Iuris-prudentia veteri, ex Romuli Legibus restituta.*

## §. X.

Sed an ille quoque effectus: quod liberi nihil proprii habuerint, omnia vero patri acquisuerint, ex eodem fonte dimanauerit, nondum satis expeditum mihi videatur. Affirmant hoc plerique, auxilium a *SEXTO EMPIRICO Pyrrhon. Hypot. III. 24. SENECA de Benef. Lib. VII. c. 4. DIONYSIO HALICARNASSEO Antiquit. Roman. L. VIII. SVETONIO in Tiber. c. 15.* petentes. Sollicito vero mihi inquirenti in rei veritatem, hoc tantum iudicium relictum videbatur, antiquam hanc fuisse observationem; *Romuli* vero aetatem haec attingere recte inde non coniicitur. Quin *DIONYSIVS in L. 8.* ubi hac de re vestigium inuenitur, supplicium a Cassio tyrannidis accusato sumtum, ultro citroque pensitatis rationibus, commemorat. Incidit haec historia in annum ab V. C. CCLXIX. Longissime ergo disiungitur augurium, quod *Romuli* tempora ante oculos habuerit. Imo, cum *Dionysius* tantam curam in referendis legibus *Romuli* de patria potestate eiusque rigore in *Lib. 2.* defixerit, ut et quid differant *Solonis* Leges ab his *Romuli* contentiose explanauerit, difficile mihi est creditu, eum rem tanti ponderis obliuioni tradidisse, ex tanto demum interuallo hac de re dicturum. Quanquam igitur de hac aliorum diuinatione iure dubito, hoc tamen opinor certissimum esse,

esse, in Legibus XII. tabularum memoriam relatam inueniri. Pleraque fragmenta de eo silent. Recte tamen  
 PAR. PRATEIVS in Iurisprudentia veteri ad LL. XII.  
 tabb. secundam legem, ex ALEXANDRO AB ALEX. Dier.  
 gen. L. 6. p. m. 326. in fine ita restaurat: Neque filiis quid-  
 quam in bonis viuentibus parentibus esto. Indubitata res  
 est Alexandrum de L. L. XII. tabb. loqui. Paulo enim ante  
 dicit: Extant quoque (ut multi afferunt) Hermodori E-  
 phesii, legum decemuiralium primi interpretis, scripta re-  
 lata, cuius statua ob id fuit comitiis erecta. etc. Paucis in-  
 terieictis pergit: Ex his non alienum fuerit aliqua, licet  
 nimis peruetusta et obsoleta, annotasse. Tandem, inter  
 varia ex his antiquis enarrata, inquit: neque filiis quic-  
 quam in bonis esse, patribus viuentibus, voluere, nisi pa-  
 trio iure emancipatione solatus foret. Nolim putas, me  
 eo dilabi, ut inde a Legibus Solonis, ex Graecia Ro-  
 manam perlatis, hunc patriae potestatis effectum deducam.  
 Quin, contendo, longo ante conflatas LL. decemuirales  
 tempore apud Romanos haec tenuisse. Evidenter hoc  
 ex DIONYS. HALICARNASSEI loco supra allegato ex  
 Lib. VIII. patescit. Quae enim ibi refert, in haec tempo-  
 ra incident, quibus ne cogitatum quidem de Legatis in  
 Graciam mittendis erat. Suspicio itaque, hanc patriae  
 potestatis efficaciam vere ex moribus Romanorum, do-  
 mi sensim coalescentibus, dimanasse. Fortitan et hoc mi-  
 hi dabitur, auaritiam, quae Romanorum animos inuase-  
 rat, conquerente LIVIO L. 34. C. 4. fomenta praesti-  
 tisse, ut patriam potestatem, ad directionem liberorum  
 magis erectam, ad lucrum pariter porrexerint. Dum  
 haec ita sunt, facile est cognitu, cur moribus prohibita  
 dicitur donatio inter virum et uxorem. Ante enim iam  
 expositum est, conuentionem in manum uxorem mariti  
 patri-

patriae potestati subiecisse, idque ex *Lege Romuli* defluisse, testis est DIONYS. HALICARNASSEVS L. 2. ex quo PRATEIVS Romuli Legem. XIV. composuit: *Filia, uti patri, ita defuncto viro mulier heres esto.* Quo nomine etiam hoc consequitur: uxorem in patria viri potestate fuisse.

### §. XI.

Moribus itaque donationem inter virum et uxorem non valere recte dicitur. Quod si tamen aliis haec discuerint meditationes, sciant illi fortiora me argumenta expectare. Quid vero, si etiam probaretur causam et ortum a *Romulo* repeti posse? Nihil tamen impedit, quo minus moribus adscribatur. Nam et, quod regius legibus debetur, morum nomine venire in Iure nostro, plenius constat, et de patria potestate L. 8. D. de his qui *sui vel al. iur. sunt*, probat. Ex his adductis prone defluit, *Vlpiani* verba, ad mores composita, non nouiora tantum tempora ante Senatus Consultum, sed antiqua pariter respicere. Idcirco errant, qui mores hos solummodo ad hoc mulierum genus, quae uxores tantum erant, restringunt. Vetustae nempe aetati non ignotae erant uxores, quae in manum non conuenerant. CICERO, ut supra tradidi, in *Topicis* earum mentionem facit, exemplique est uxor, cuius meminit in *Orat. in Verrem* L. 3. c. 22, cum de Xenone Menone ita scribit: *Dicebat ille, non modo se non arasse id, quod satis erat, sed nec dominum esse eius fundi, nec locatorem uxoris* (alii uxorem legunt) *esse, eam ipsam suum negotium gerere, ipsam locauisse.* Quam autem haec aliena sint ab uxore quae in manum conuenerat, quilibet intelligit. Hoc vero animum in ancipi tenebat, qua ratione hi mores, uxoribus magis,

magis, quae in manum conuenerant, proprii, ad alterum mulierum genus porrigi possint. Mirari autem desi, mecum reputans, frequenter contingere ut mores, licet mutato statui non aquabiles, retineantur. Accedit alia, a lasciuia mulierum et rapacitate, his temporibus ingrauescente, ducta ratio. Hinc PLAVTVS in Penul. Act. I.  
Sc. 2.

*Negotii sibi qui volet comparare  
Nrauen et mulierem haec duo comparato,  
Nam nullae magis res duae plus negotii  
Habent, forte si occuperis ornare,  
Neque unquam satis hae duae res ornantur,  
Neque eis ulla ornandi satis satietas est.*

Legi meretur descriptio ornamentorum in SENECA  
De Benef. L.VII. c.9. et TERTULLIANO de habitu muliebri. O tempora! O mores!

## §. XII.

Erit itaque extra dubitationis aleam positum, prohibitionem donationum inter coniuges moribus, non scriptae legi, deberi. Agitare causam videtur ALEXANDER AB ALEX. Dier. Gen. L.II. c. 5. Dicit enim: *Donna vero et manuscula virum ab uxore vel contra accipere Legibus erat et scripto iure vetitum: nefas existimantes, quod legitimus amor coniunxit donis videri potius allici, quam coniugali amore conciliari.* Sed, siue Legem Etruscae genti propriam, siue Romanis et Graecis communem intellexerit, memoria huius rei gestae deest. Fortitan respexit ad Legem Solonis et Lycurgi, dotis constitutionem refrenantem, cuius meminit in L.IV. c. 8.

C

quam

quam ex eodem et Plutarcho, PARD. PRATEIVS all.  
*Libr. Leg. Sol. XXIII.* ita exhibet: *Vestes tres et parui pretii  
 vasa, aliud praeterea nihil importanto nuptiae.* Nihil haec  
 lex, si est certa, ad Romanos pertinet. Dotis causa apud  
 Romanos nunquam eadem, semper diuersa a graecis fuit.  
 Omnia enim bona, cum mulier in manum conuenit,  
 quae mulieris fuerunt, viri sunt dotis nomine. CICERO  
 in *Top. IV.* Imo ex ipsa hac Lege obtorto satis ducitur,  
 omnem circumscribi donationem.

### §. XIII.

Tempus monet, ut Leges Pandectarum adeam, ra-  
 tionesque scruter. Contigit huic iuri, quod contingere  
 non potuisset, moribus in tabulas relatis, vel si scripta  
 Lex ab initio adfuisset, ut adeo vaga et confusa notitia ei-  
 us extiterit temporibus ante Iustinianum, ut ne teno-  
 rem quidem receptae moribus sententiae eundem omnes  
 crediderint; quod attente ponderatis legibus liquet.  
 Hinc seges rationum. Agmen dicit PLVTARCHVS  
*Roman. Quaest. Tom. II.* semen dubiorum spargeas. Se-  
 ries rationum recensitarum uberrime declarat, locorum,  
 temporum, rerumque vicissitudines ita negligi, ut com-  
 mixta dissimilia, omniaque turbata intelligentur. Per-  
 strinxit rationum varietatem BÖHMERVS *Diff. de statu  
 donationum inter Virum et Vxorem antiquo et hodierno  
 §. 21.* Quod vero a sequenti spho longe absit mea sen-  
 tentia, ex supra enarratis conspicuum erit. Princeps  
 contentio mihi est, cum Iure Consultis, quorum scripta  
 tenet Digestorum titulus. Efflagitat rei dicendae gra-  
 uitas, ut viginti inter Iure Consultos, quorum hic titu-  
 lus mentionem facit, selectionem habeam. Quantam e-  
 nim

nim utilitatem afferat aetatis Iure Consultorum distinctio,  
superuacaneum foret dicere. Remissius autem haec tra-  
ctari, docent omnes fere commentationes.

## §. XIV.

Duplex Legum in hoc titulo est facies. Altera *mo-rcs*, altera *Orationem Seueri et Antonini praesentat*. O-  
perae igitur pretium erit Iure Consultos his Imperatori-  
bus coaeuos, vel posteriores, ab anterioribus seiungere.  
Quemque horum suae aetati tradam. *Labeo* et *Alfenus*  
*Varus* sub *AVGVSTO*: *Proculus* sub *CLAVDIO*: *Iulianus*,  
*Iauolenus*, *Neratius*, *Priscus*, *Celsus filius*, et *Caelius Afri-  
canus* sub *HADRIANO*. *Caius*, *Pomponius*, *Marcellus*,  
*Clemens* et *Ceruid*. *Scaeuola* sub *ANTONINIS*, floruerunt.  
Sub *SEPTIMIO SEVERO* et *ANTONINO CARACAL-  
LA* *Papinianus* et *Tryphoninus*: Sub *ALEXANDRO SE-  
VERO* *Vlpianus*, *Paulus*, *Rufinus*: Sub *GORDIANO*  
et *PHILIPPIS Modestinus*: Sub *CONSTANTINIS*  
*Hermogenianus* vixerunt. Stomachum mihi illi faciunt,  
qui, leuaturi operam, Leges ad trigesimam secundam  
usque ad mores, sequentes vero Leges ad nouam ordi-  
nationem Senatus Consulti referunt. Perpendas quae so-  
legem 23. quae tota ad nouam a Senatus Consulto addi-  
tam formam spectat. Post Legem 32. pariter pleraque Le-  
gum pars ex iis Iure consultis deponita est, quorum ci-  
neres tantum *Seueri* et *Antonini* aetas seruauit. Quis est  
itaque omnium tam ignarus rerum, tam rudis in inter-  
pretationum principiis, ut Iure Consultorum, a *Seueri* et  
*Antonini* tempore remotorum, scripta, ad noua Senatus  
scita applicare cogitet?

## §. XV.

MARCELLVS fortasse, in L. 45. D. de Donat. inter Vir. et Vx. Senatus consulti memoriam tenens, vexat veritatem? Vmbram times, MARCELLVS ita scribit: et iam eum detrahere, sine mulieris damno, et circa metum Senatus Consulti, quod detrahentibus negotiationis causa occurrit. Quae obscurius hic tradit Marcellus, plenius ex ipso refert VLPIANVS in L. 43. §. 1. D. de Legat. i. Discis exinde Marcelli sententiam: Posse maritum, si dactam in horto dotali fecerit, ea detrahere, quae usui eius futura sunt, sine mulieris damno. Ex qua Lege restringitur, quod generaliter ante ab eodem Vlpiano, vi Senatus Consulti dictum est in L. 41. §. 1. eod. Testante hac Lege, factum hoc Senatus Consultum ad Orationem HADRIANI M. Aciolo Auiola et C. Corelio Panfa Confutibus. Ad plenam quoque cognitionem huius Senatus Consulti facit L. 52. D. de Contrah. Empt. et L. ult. D. de Damn. inf. Conf. LABITTI Vf. Ind. Pand. c. 5. §. 32. Lex denique 2. C. de Aedif. priv. ostendit iam ante HADRIANVM, VESPASIANVM hac de re edixisse. In dubium hoc vocat CVIACIVS Lib. V. Obs. c. 26. existimans, vel Senatus Consultum aliud, quo Edictum VESPASIANI confirmatum, non illud HADRIANI tempore conditum intelligi, vel errorem in nomine Imperatoris versari. Vtrumque non accurate, nec cogitate satis. Edicta Imperatorum Senatus Consultis confirmari Leges laudatae non probant. Nec ut errorem increpemus opus est. Vero est similius, VESPASIANVM Legem XII. tabularum, tignorum alienorum, aedificio funitorum, vindicationem prohibentem: ne urbs ruinis deformetur, latius produxisse, ut nunquam negotiandi causa aedificia et marmora, aliaque prae-

praediis affixa, detrahere licet. Quod eximium institutum eo usque porrexit HADRIANVS, ut nec ea quouis alio modo, v. c. legato per Leg. 41. D. de Legat. i. alienare permittat, simulque dupli poenam statuat. L. ult. D. de Damn. inf. RENAT. BOTTEREAU in Hadriano Legislatore ad Annum Imperii VI. §. I. Marcellum itaque in laud. Lege 45. negligere tam Edictum, quam Senatus Consultum contendis. Ita est. Propter ea tamen non est vellicandus Marcellus. Maritus enim, dum sine uxoris damno haec a diaetis detrahit, sibi profutura non negotiationis, non alienationis causa hoc facit, sed ut sibi seruet, nec impensas amittat. Reete ergo dicit: *Senatus Consultum ipsi impedimento non esse.* Mecum nunc conuenies, huius aetatis Iure Consultos solum moribus explicandis deseruire. Idecirco si intellexeris, Noodrnum, aliquosque Julianum, tanquam interpretem Orationis Seueri et Antonini, consulere, hoc tibi officii datum cogita, ut primum tantum Orationis caput exinde explanes. Prima autem pars, ut consuetum est in Principum Orationibus, historicam narrationem iuris, quo ad hoc tempus usi fuerunt Romani, continet. Quod vero Iure consultos, tempore SEVERI et ANTONINI, aut postea florentes, attinet, dubio vacat, eos et antiquum et nouum rei statum informare. Agas tamen circumspecte in applicando, ne te opinio fallat.

## §. XVI.

Ordo me dicit ad diiudicandas rationes diuersas, a variis Iure consultis traditas. Veras causas supra iam re-centui. Quoad hae conueniant videamus. Concinna est illa VLPIANI in L. i. D. de Donat. inter Vir. et Vxor. ne mutuato amore inuicem spoliarentur, donationibus non tem-

temperantes; sed profusa erga se facilitate. Concinnam  
 voco, verfa cogitatione in illas uxores, quae in manum  
 non conuenerant, alias flocci pendet. Ceterae, vel tem-  
 porariae, vel inanes conspiciuntur. SEXTVS COECILI-  
 VS, referente PAVLLO L. 2. eod. hanc subornat; quia  
 saepe futurum effet ut discuterentur matrimonia, si non  
 donaret is qui posset, atque ea ratione euenturum, ut ve-  
 nalia essent matrimonia. Licet alii defensionem parent,  
 tam modicum tamen temporis inueni, quod hanc ratio-  
 nem in Romana republica fert, ut ficalneam potius re-  
 putem illam Caecilii rationem. Indubitatim reddit GEL-  
 LIVS No&t. Attic. Lib. IV. c. 3. scribens: quingenis fere  
 annis, post Romanam conditam, nullas rei uxoriae actio-  
 nes, neque cautiones in urbe, aut in Latio fuisse, quia  
 profecto non desiderabantur, nullis etiam tunc, matrimo-  
 niis diuertentibus; Primum deinde Sp. Caruili. Ruzgam ob-  
 sterilitatem uxorem dimississe. Imo et ab aliis relatum  
 legimus, sexcentis fere annis, exemplum de diuortio  
 non esse memoriae proditum. Celeb. OTTO in Praef. ad  
 Tom. IV. Thesaur. Iur. Rom. Non e longinquo ergo in-  
 telligitur, eis temporibus diuertia ansam his moribus praे-  
 bere non potuisse. Anno post V.C. DCCLXII. AVGV-  
 STVS Lege Iulia de maritandis ordinibus. diuortiis ingra-  
 uescitibus, modum imposuit. SVETONIUS in Aug.  
 cap. 34. in fine. Poenas nempe soluti, vel mariti, vel u-  
 xoris culpa matrimonii, sanxit, ut videre est de priori  
 casu in cap. XXI. Sequens pars, de altero agens, redin-  
 tegrari potest ex VLPIANI Fragm. tit. VI. de Dot. §. 10.  
 et PAVLLI Fragm. ex Institut. Libro secundo tit. de Do-  
 titibus, quod SCHVLTINGIUS Fragm. Sententiar. re-  
 cept. adiecit. Verisque fragmentis fructuosa erit lectio  
 uberrimarum eius obseruationum. Causas igitur, nisi  
 poe-

poenam subire voluerit diuortium faciens, sine dubio in medium proferre debuit. *L. 60. §. I. et L. 61 D. de Donat. inter Vir. et Vxor.* Iusta causa esse non poterat dene-gata donatio, cum prohiberetur moribus. Prohibitio-nem vero non metus diuortii excitauit. Poena potius satis comprimebat diuertendi libidinem. Insecuta deinde tempora non relaxarunt frena, quin compresserunt; Ce-rebro igitur *Cœcili*, non moribus debetur haec ratio. Noli credere, verba *VLPIANI* in *L. 3. eod.* haec ratio ex *Oratione Imperatoris nostri Antonini Augusti*, electa est etc. Cœcili rationem stipare, quae potius ad *Vlpiani* cau-sam in *L. 1.* traditam referri merentur.

## §. XVII.

Interim ingenue fateor glomeratas rationes in *Ora-tione*, si postremo loco positam excipio, mediocre pondus habere. Amorem honestum maiores solo animo ae-stimarunt. Ita erat, et erit omni aetate. Commune est veri amoris inter mortales principium, non coniugibus proprium. Amicitia autem, ex amore conflata, an cautam et moderatam beneficentiam damnat? An famae coniunctorum consuli credis, si officia amoris inhumane expellantur? An concordia pretio conciliata videbitur, cum liberalitate non dissoluta animus, haud meretricio amore imbutus, demonstretur? Pellamus a Legibus no-stris inhumanitatis suspicionem. Nihil valent consarcina-tae hae rationes, nisi limitibus arctius circumscribantur. Obmurmurabunt alii, quod oratio has rationes confir-met. Vela non contraho. Prima enim orationis pars an-tiquitatis commemorationem tenet, nihil disponit. Nau-ci pariter *PAVLLI* rationem in *L. 2.* merito facio, quod ex dictis hucusque constat.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Post positis itaque aliorum rationibus, sola illa VLPIANI in L. i. data mores confirmat. Scimus autem, omne cognoscendi Leges et interpretandi principium a ratione Legis repetendum esse. Ratio si generalis deprehenditur, Lex huic innixa generalis est, regulamque constituit. Contra vero specialis ratio Legem speciem et exceptionem tantum efficit. Accommodemus has principales cognitiones donationibus inter virum et uxorem. VLPIANVS, de ratione morum Romanae gentis sollicitus, hanc reddit: *ne mutuato amore inuicem SPOLIARENTVR*. Quomodo hoc intelligendum sit exponit in L. 5. §. 8., atque latius patens verbum: *Spoliarentur, limitibus circumdat, dicens: Definiri solet, eam demum donationem impeditri solere, quae et donantein PAVPEROREM et accipientem facit LOCVPLETIOREM*. Idque et aliis Legibus commodisque exemplis iuit demonstratum. Cum vero et illa ratio, sola, facile longius abducere potuisset meditationem a mente ipsius, arctius verba in eadem Leg. i. constringit addens: *donationibus non TEMPERANTES, SED PROFVSA ERGA SE FACILITATE*. Iuncta haec verbis anterioribus sententiam Vlpiani definunt. Non est haec morum acerbitas, ut omnis liberalitatis extirpetur usus. Vel, ut cum PAVLO loquar, in L. 28. D. h. t. *Sane non amare, nec tanquam inter infestos ius prohibitae donationis tractandum est, sed ut inter coniunctos maximo affectu, ET SOLAM IN OPIAM timentes.* Igitur mores, ratiocinatur Vlpianus, tantum cohibent coniugum donationes tanti momenti, ut intemperantia liqueat, donantis egestas, bonorumque dissolutio iuste metuantur. Quod dubites de vera hac Vlpiani mente nihil est. Titubantes autem satis firmabit Lex 15. D. cod.

LIVX.2

eoꝝ ubi VLPIANVS ita: *Ex annuo vel menstruo quod uxori maritus praeſtat, tunc, quod ſupererit reuocabitur, ſi ſatis eſt IMMODICVM, id eſt ſupra vires dotis.* Olim et ita ſentiebat POMPONIUS L.31. §. 8. D. eoꝝ. Si vir uxori munus IMMODICVM Kalendis Martiis aut nauali die dediſſet, donatio eſt. Audio fuſurrationes. In caſſum redire Vlpiani ei meum laborem, ſibilant. Nonne Lex Cincia, longe ante Vlpianum lata, freна iniecit donanti- bus? Nonne certam definiuit ſumma? Nonne modum excedentes donationes reſcidit? Quid ergo opus eſt de moribus contendere? Meditor concordiam, ne veritas dilabatur. Modum imposuit Cincia Lex. Ad cert. m quantitatem reſtrinxit. Nihil contra facio. Largior et libe- ralius, Vlpiani tempora non ignoraffe ſummae quanti- tatem, quae hodie neſcitur. Quid vero Lex Cincia do- nationes modum excedentes infirmauerit auſtoritate scri- ptorum non probatur; Contrarium potius ex Fragm. VL- PIANI Tit.1. §.1. Imperfecta, inquit, *Lex eſt veluti Ci- cicia, quae ſupra certum modum donare prohibet, exceptis quibusdam cognatis, et ſi pluſ donatum ſit, non reſcindit.* Omnisbusque numeris absolute probationem adiecit SCHVLTING ad h. l. Praeter vero ea, ſi et vera eſſet reſcifio, non tamen habes cur mores re- iicias. Nam, quaecunque demum fuerit quantitas illa Legis Cinciae, quam ignoramus, facillime tamen eueni- re potuiffet, ut donatio ad praefcriptum modum com- poſita, propter opum mediocritatem immoderata, adeo- que pro donantis conditione temperanda ſit.

## §. XIX.

Cognita Vlpiani mente, non moror haec repete- re principia: Donatio inter virum et uxorem valida eſt, nec

D

mori-

moribus prohibetur. Sed, facti habita circumspectione, si vires patrimonii, si donationis quantitas intemperantiam, bonorumque dissipationem ostendant, nihil valet quod immoderate gestum est. Clauderem rationum transactionem, nisi elegantissima *Dissertatio Consult. Car. Frid. SCHVBERTI de Iustitia transactio[n]is testamenti nondum inspectis tabulis, ob sublatam vice[simam] hereditatum, moram iniiceret.* Contendit enim in §. IX. *Seuerum et Antoninum* donationes inter virum et uxorem plane prohibuisse, per Leg. 3. D. de Donat. inter Vir. et Vxor. atque nullam aliam subesse rationem, quam ne fraus vice[simae], ab Augusto Imperatore vettigalis nomine Lege Julia constitutae, fieret. Sed pace Consult. *Viri dissectionem facio.* *Seuerus et Antoninus* has donationes, dum in primo orationis capite antiquos mores recenserent, minime cohibuerunt; Quin imo veteris iuris rigorem relaxarunt, confirmando donationes inter coniuges, si ante mortem liberalem mentem donans non mutauerit. Si vero vice[simae] his Imperatoribus cordi fuerit, non modo non respondere menti dispositionem, sed omnino repugnare intelligeremus. De cetero, latius patet dubitatio: an unquam defendi possit, vice[simam] ad donationes inter viuos pertinuisse. **DIO CASSIVS** certe Lib. LV. contra facit, nec alias rerum gestarum scriptores nos ad credendum inuitare cognoui.

### §. XX.

Tradidi hucusque cognoscendi principia, quorum pleraque ex *Vlpiano*, optimo morum interprete, de promta sunt. Non est opus item illi nunciare, quod in L. 3. §. 19. D. b. t. dicit: *Sciendum autem est, ita interdicitam inter virum et uxorem donationem, ut IPSO IV-*  
RE

RE nihil valeat quod est actum, et, paucis, interiectis:  
 IPSO enim IURE, quae inter virum et uxorem donationis causa geruntur, nullius momenti sunt. Primo enim ex iis quae iam exposui luculenter constat, regulam *Vlpiatum* constitui noluisse, sed verba haec ad rationem ab ipso positam, indeque profluentem prohibitionem accommodanda esse. Deinde, non immerito coniicio, *Vlpiatum* a propria significatione locutionis: *ipso iure*, deuiale. Ab initio enim donationem, tradita re, ipso iure nullam suffisse defendi nequit, nisi quis verbis, spreta Legum ratione et nexu, inhiare velit. Dabo causae argumenta. Scis usucaptionem nullam esse, nisi possessor rem iusto titulo et bona fide acceperit. Qui ex causa iure ab initio reprobata rem sibi comparat, an iustum habet titulum? an bonae est fidei possessor? Profecto non, aut iura fallunt. Iam mentem applica ad L. 25. D. b. t. TERENTIUS CLEMENS, iure consultus sub *Antoninis* vigens, meditans de illo casu; an uxor alienam rem (certe credidit mariti esse, alias in fumum abiret Lex) ex donatione a marito accipiens, statim ad usucaptionem admitti possit? Afferit iure Consultus admittendam esse, nec impediri usucaptionem. Pensita, num, si ab initio ipso iure nulla fuerit donatio mariti, bona fides, et iustus titulus stipare potuerit usucaptionem? Inquis.

P A V L Y S in L. i. D. pro *Donato* contra facit, verb: *Si inter virum et uxorem donatio facta sit, usucatio non procedit.* Videsne, antecedentibus compositis, eo haec pertinere, si maritus propriam rem donauerit? Ira enim pauperior sit maritus, adeoque rationi prohibitionis respondet. Sic est, si donatio fuerit intemperata, aliquum non opus ut de usucacione quaeramus cum, ipso iure

valeat, Iungas L. 28. D. de Donat. inter Vir. et Vxor. Distinctius loquitur POMPONIVS in L. 3. D. pro donato: *Si vir uxori vel uxor viro donauerit, si aliena res donata est, verum est, quod Trebatius putabat, si pauperior is, qui donasset non fieret, usucaptionem possidenti procedere.* Ita duo sciungendi sunt casus; Aut maritus ipse rem uxori donatam bona fide et iusto titulo acquisuerat, uxor usucapere nequit, cum maritus, qui ipse usucapere poterat, pauperior existat. Aut rem, quam sciuit alienam esse uxor donauit, atque tunc usucapio ab uxore iure perficitur, cum nihil ex bonis dimiserit.

### §. XXI.

Accipe aliam causam, ex qua donationem ab initio non ipso iure nullam esse affirmo. Qui ex iniusto titulo rem accipit, malae fidei est possessio. Hic in perpetua mora Legibus constituitur. Morosus debitor omne praefat periculum. Aestimationem rei, si perierit, aut consumta sit, soluit. Tralatitia haec sunt. His positis animum aduerto ad VLPIANVM L. 7. D. de Donat. int. Vir. et Vxor. Venit in disceptationem: Si donans vir aut uxor a donatorio, iure suffragante, repeatat donationem, eo quod locupletior plus iusto factus sit, quod tempus ad dijudicandam quaestionem spectari debeat, ut intelligatur an locupletior euaserit, nec ne. Flocci facienda esset tota haec quaestio, si dubio vacaret donationem inter coniuges ab initio esse ipso iure nullam. Nihil ad decidendum pertineret, nisi hoc solum, quod nulla sit donatione. Nam vero hoc tantum sub alea videbatur, utrum litis contestatae, utrum vero rei iudicatae tempus spectandum sit. Eamque controversiam *Iure Consultus* ita decidit, ut litis contestatae tempus ad amissim ducatur. Aut

Aut nimis mihi assentior, aut in aprico iacet, donatio-  
 nem non ipso iure ab initio nullam, sed habendam prius  
 esse cognitionem, an intemperantia, bonorumque dil-  
 pidatio emicet, et donationem irritet. Ex quo facillimo  
 quoque negotio diiudicari poterit, quam ob causam a  
 donante coniuge nec usurae ex re donata perceptae,  
*L. 15. §. 1. D. de Donat. int. Vir. et Vxor.* nec fructus  
*L. 17. D. eod.* repeti possint. Alias rationes offert N O O D T.  
*Comment. ad h. tit. Dig.* De usuris hanc reddit: quia u-  
 xor quidem hoc incremento fit locupletior, at maritus  
 non fit pauperior. Ficulnea est. Qui perdit usuras, quas  
 ipse percipere poterat, nonne pauperior redditur? De  
 fructibus vero tantum industrialibus, quia hi soli imagi-  
 nem habent usurarum, non de naturalibus, Legem ex-  
 planat. Torquet dixerim. *Lex. 5. §. 18. eod.* uberrime  
 docet, rei vindicationem, si res donata extet, donanti  
 competere. Quis vero ignorat in rei vindicationem tam  
 industriales, quam naturales fructus venire, Sed, dum  
 haec differo, proprio me gladio iugulatum dare videbor.  
 Ipso iure ab initio nullam esse donationem negau. Nunc  
 rei vindicationem donanti impertior. Quid ergo certius  
 est dominium rei donatae donanti coniugi illibatum man-  
 fissé? Cauillaris, non recte disputas. Emphyteusin con-  
 cedens, si intra triennium in emphyteusi seculari, et in-  
 tra biennium in ecclesiastica annum canonem non sol-  
 uerit, an non vindicandi ius habet? Itane emphyteuseos  
 constitutio ab initio erat nulla? Profecto, ex tempore de-  
 dum quo mora in canone soluendo contrahebatur. Eo-  
 dem modo discas, ex illo tempore, quo constabat de in-  
 temperantia donantis coniugis, renasci dominium.

## §. XXII.

Hic status erat donationum inter coniuges ante Senatus Consultum, ita, ni fallor, comparatus, ut ipso iure nullae vocari non potuerint. Ordo poscit ut dispiciamus, quid Senatus Consultum commutauerit. Factum est Senatus Consultum, habita oratione a SEPTIMIO SEVERO, et ANTONINO CARACALLA Imperatoribus A. V. C. 958. Nummio Albino et Fulvio Aemiliano Coss. RELANDVS, et AMELOVEN in Fastis Cons. Alii ad An. 955, alii ad 959, referunt, quod non probatur. Hoc tempore Imperatores fasces simul gerebant, ideoque oratio aliquando Sezero L. 23. D. et L. 10. C. de Donat. int. Vir. et Vxor. aliquando Antonino L. 3. pr. et 32. D. eod. aliquando utriusque L. 3. C. eod. adscribitur.

## §. XIII.

Effingunt alii duplēcē orationē, et duplex Senatus Consultum; Alterām *soliū Seueri*, quae minus plena fuerit, atque donationes tantum traditione absolutas confirmauerit, eoque L. 23. D. b. t. referunt; alteram pleniorē *Seueri et Antonini*, etiam stipulatione promissas donationes corroborantem, cui praesertim L. 32. et 33. eod. applicant. Error errorē peperit. Crediderunt VLPIANVM in L. 32. et seq. hoc Senatus Consultum ad donationes, etiam sola stipulatione initas, extendere; Cum vero hac ratione L. 23. eod. ad concordiam adducere non potuerint, nota inuentione duplicitis orationis aditum parare conati sunt. Res est magni momenti, copiosa tractacione digna. Sed non est causa, cur tantum laborem caparem, cum Viri Celebratissimi VAN BYNCKERSHOECK Obseru. Iur. Rom. Lib. V. cap. 18. et OTTO in Papiniano Cap.

*Cap. XII. §. 9.* sententiam hanc profligauerint. Panca tantum ponderosis eorum argumentis, ut facilior reddatur intellectio, adiiciam. Totus ipsis consentio, hoc Se-natus Consultum donationes coniugum eo tantum in casu, si traditio acceſſerit, confirmasse, ut adeo reſte *Papinianus*, suffragante *Vlpiano* in *L. 23. D. b. t.* putauerit: Orationem *D. Seueri* ad rerum donationem pertinere, sed, si stipulanti spopondisset uxori suae, non conueniri posse heredem mariti, licet durante voluntate maritus deceſſerit. Neque *Vlpianus* sibi, nec alii Iure Consulti aduerſantur. Dubium ex *L. 33. D. b. t.* subortum, quod anniū ſtipulatio conualeſcat morte donantis, eleganter fuſtulit *Otto*, hanc reddendo rationem: quia annum, niſi ſingulis annis tradi et repræſentari non poſſit. Minimi foret pretii obieſtio, ab acceptilatione in *L. 32. §. 23. eod.* repetita, breuis manus enim traditionem acceptilationi inefſe neminem fugit. Verba maxime *Orationis* in *L. 32. b. t.* ſi accurata animi lance ponderas, indubitatum rediditur, ad rerum donationes, ut loquitur *Papinianus* in *L. 23*, ſcilicet ubi traditae ſuntres viuo donante, Senatus Consultum attendere. Ait *Oratio L. 32. §. 2. b. t.* *Fas eſſe cum quidem qui donauit poenitere, heredem vero ERI- PERE durum et auarum eſſe.* Eripi vero qui poſſit, quod alter non habet, ſcire cuppio. Pergit *Oratio L. 32. §. 14. b. t.* in aduerso caſu, quo donatio non conualuit: *Si pri- or vita deceſſerit qui donatum a o C E R I T.* Latius omnia in laudatis Commentationibus inteniuuntur.

#### §. XXIV.

Negotium adhuc faciliſſere videtur *HENR. BRENC- MANN* in *Diff. de legum inscriptione* §. 22. Addit ſen- ten-

tentiae illorum, qui duplicem Orationem de liberalitatibus coniugum statuunt, conjecturam admodum speciosam: quod, cum posterior Oratio prope excessum Seueri in se- natu habita sit, *Papinianus* in eam vix commentari potuisse videatur, qui proxime post mortem illius a *Caracalla* interremtus sit; quoniam, ut notum, prius de vita quam bona sententia decadere malebat. Gloriosae hu- ius mortis memoriam conseruarunt *BALDVINVS in vita Papiniani*, et *OTTO in Papiniano Cap. XVI.* Sed nimium ne credas colori. Senatus Consultum habitum est *A.V.C. 958.* Anno uero demum 964. *Aspris Coff. Papinianus* crudelitate *Caracallae* diem obiit. Quidni ergo com- mentari ad Senatus Consultum potuit.

### §. XXV.

Litem ex integro restituere videtur *NOODTIVS Comm. ad Dig. b. t.* Titubat victoriae spes nisi aliis armis utamur. Afferit, *Vlpianum* in L. 23. comprobasse *Papini- anu* sententiam verbis orationis strictim consideratis, ra- tione vero et aequitate pensata, discessionem fecisse a *Papiniano*, afferendo, omnes donationes, siue traditio ac- cesserit, siue non, oratione confirmari. Vnde demon- strationem petierit non e longinquo positum est. Sed u- cebatur generalibus verbis ab *Vlpiano* in interpretanda Oratione adhibitis. Latissima sunt verba *VLPIANI* in L. 32. §. 1. *Oratio autem Imperatoris nostri de confirmandis do- nationibus non solum ad ea pertinet, quae nomine uxoris a viro comparata sunt, sed AD OMNES DONATIONES inter virum et uxorem, ut et IPSO IVRE RES FIENT EIVS, ET OBLIGATIO SIT CIVILIS.* Ac ne ex im- prouiso verba irreplisse credi possit, denuo in §. 23. *VL- PIANVS* inquit: *et GENERALITER VNIVERSAE DO- NA-*

NATIONES, QVAS IMPEDIRI DIXIMVS EX ORATIONE VALEBVNT: Vereor, ne prioribus argumentis solis contra *Noodium* utens succumbat. Quin, miror grauissimos viros coniectionibus operam dedisse, ubi veritas ipsa loquitur. Verbis orationis, si, ut res postulat, pressim inhaeremus, error *Noodii* in aprico iacet. Sed gloria labefactatur *Vlpiani*, quod laxius iusto locutus sit. Quantum enim mihi intellexisse videor omnes in id conspirant, quod alias quidem donationes stipulatio perfecerit, quoad virum et uxorem autem Oratio rerum traditarum tantum donationes stabiluerit. Evidem in alia omnia abeundum esse arbitror. Nulla donatio *Antonini* et *Caracallae* temporibus, imo ad *Iustiniani* usque imperium, exceptis certis personis, sine traditione valebat; nulla donatio stipulationis auctoritate corroborabatur. Res, modo historia Legum non negligatur, nullis implicata est difficultibus. *Lex Cincia* donationibus modum praescriperat, ut mancipatio aut traditio interueniret; nec coniunctae personae exceptae erant. Falso omnino *GOTHOFREDVS ad L. 4. Cod. Theod. de Donat.* mancipationem liberis et parentibus, atque aliis quibusdam personis, per *Leg. Cinciam* remissam esse afferit, iure ipsum vellicante *BRVMMERO ad L. Cinciam Cap. XV,* cui praesto est *PLINIUS Lib. X. Epist. 3. DIVVS* autem *PIVS Imperator* donationes inter parentes et liberos a necessitate mancipationis et traditionis relaxauit. Meminit eius *CONSTANTINVS Imperator in Leg. 4. Cod. Theodos. tit. de Donat.* De cetero, inter alias personas non tantum nihil delibatum est de pristino iure, sed et in eadem *Constantini Lege* traditio ad donationum firmatem requiritur.

## §. XXVI.

Integralm hanc Legem, cum in Codice Iustinianeo desit, exhibebo. IMP. CONSTANTINVS A. ad Basiliū P. V. Iuxta D. Piī, consultissimi Principis, instituta valere donationes placet inter liberos et parentes, in quo cunque solo, et cuiuslibet rei liberalitas probabitur extitisse, licet neque mancipatio dicatur, neque traditio subsecuta, sed nuda tantum voluntas claruerit, quae non dubium consilium teneat, nec incertum, sed iudicium animi tale praeferat, ut nulla quaestio voluntatis possit inrepere; et conlata inter ceteras, exceptas Cinciae legi, personas obtinere propriam firmitatem, siue mancipationis decursu fuerit solemnitas, vel certe res tradita doceatur. Quam legem ad lites volumus pertinere, quoconque tempore iussionis nostrae inueniuntur esse suspensae, et quae post futurae sunt, ne transacta negotia reflicantur. Dati Non. Octo. Constantino A. V. et Licinio Caef. Coss. (A. V. C. 1071. et A. Chr. 319.) Extat in eodem Codice Lex VII. de Donat. CONSTANTII Imperatoris A. V. C. 1707. A. Chr. 355. de mancipationis et traditionis necessitate in donationibus inter extraneos. Vide iam porro L. 28. Cod. Inst. de Donat. quae reperitur in Cod. Theod. L. 9. eod. tit. Est haec Sanctio HONORII et THEODOSII Inpp. qua Legem duobus annis ante ab ipsis dictam, pristinum ius restaurando, abrogarunt. Disposuerant autem, ne, quod veteri iure obtinuerat, ususfructus retentio vicem traditionis in donationibus teneret, posteriori autem Legi pristinum ius in observationem reuocarunt. Dum vero in all. Leg. 28. qui rem aliquam donando usumfructum retinuit, eam continuo tradidisse creditur, euidens est consecutio: traditionem a donatione abesse non potuisse;

se; quod et historia in primo capite L. 9. C. *Theod.* re-  
lata, in *Codice Iustinianeo* omissa, ostendit.

## §. XXVII.

Extra omnem igitur dubitationis aleam ponitur,  
*Theodosii* etiam tempore donationem ex sola stipulatione,  
non infecuta traditione, nullam vim habuisse. Nunquam  
deinde, usque ad *Iustiniani* memoriam, prodit lex, quantum  
scio, quae haec iura immutauerit; **I U S T I N I A**  
**N V S** deinceps per *Legem* 35. §. 5. C. *de Donat.* et stipula-  
tiae, et nudo pacto promissae donationi auctoritatem de-  
dit. Subit animum *Lex* 33. D. *de Donat.* ex **H E R M O**  
**G E N I A N I** *Iureconsulti* L. 6. *Iuris Epitomarum*, quae Lex,  
quo fato nescio, omnes ita illaqueauit, ut stipulationi vir-  
tutem confirmandi donationem vindicarent. Videamus  
quid probet: *Qui id*, inquit **H E R M O G E N I A N V S**, *quod*  
*ex causa donationis stipulanti spoponderat*, *soli confituit*,  
*actione constitutae pecuniae, non in solidum, sed in*  
*quantum facere potest, conuenit*. Res mea in pericu-  
lum adducta videtur. Sed nondum meam *Vlpiani* et  
*Papiniani* interpretationem labefactari sentio; pessime e-  
nim hic *Hermogenianus* inter *Alexandri* consiliarios, et  
discipulos *Papiniani* recensetur, qui potius sub *Constan-*  
*tino* et eius liberis vixit. *Celeberr.* OTTO Praef. Tom. I.  
*Thes. Iur. Rom.* SCHVLTING. *Iurispr.* ANTE *Iustin.*  
*Fragm. Cod. Greg. init.* STRAVCH. *Vita Hermogen.* c. 26.  
Sed ne exinde demonstrari possit, iam ante *Iustinianum*,  
tempore scilicet *Constantinorum*, traditionis necessita-  
tem euaniisse, non nihil timendum est. Medelam igitur  
afferam. Primo quidem nullo consilio contenditur, sti-  
pulationem sortiri effectum. Anteceperat constitutum  
stipulatio. Consentio. Dari in hac Lege actionem ad tra-  
den

dendum, non ambigo. Stipulatio vero in causa non re-  
ste ponitur. Stipulatio, propria sua auctoritate constans,  
alieno auxilio non indiget. Ipsa actionem ex stipulatu  
producit efficacem. Quid ergo opus fuisset constituto?  
Quid actione de constituta pecunia? Vrgebis, ex abundan-  
ti constitutum aduenisse, sussecisse stipulationem. Res-  
tuas tibi habeto. Accipe quid contra habeam ex Iure  
Ciuii et Praetorio. Stipulatio nihil in hac causa praestitit.  
Constitutum demum, praetoris auxilio, donationem eo  
perduxit, ut actio proueniat. Quod, qua fieri potuerit  
ratione, ex his intelliges. Nullus dubitat, eam ob causam  
Leges donantibus necessitatem tradendi iniunxisse, ne  
inconsultis promissionibus patrimonio priuarentur. Hi  
enim tristissimi cuentes prouidam Legis Cinciae cautio-  
nem mererunt. Diutius vero deliberare et ruminari so-  
lent, res ex patrimonio exire videntes. Conferas iam a-  
nimum ad constitutum. Paeti iterationem requirit. Quod  
vero repetita vice fit, deliberato consilio factum censem-  
tur, arg. L. 22. C. de SCto Vellei. Itaque, cum prae-  
sumant leges donatorem rem mente agitasse, quod Leges  
per traditionem intenderunt, defendi poterit Hermoge-  
nianus, actionem de constituta pecunia concedens.

### §. XXVIII.

Quicquid huius rei sit, perspicuum tamen est, sola  
stipulatione donationem non constituisse. Quo circa ex ip-  
sis *Vlpiani* verbis liquet, Orationem donationes stipula-  
tas non attingere. Verborum aucupationibus Iure con-  
sultus obtiam iuit, dum in L. 32. §. 23. dicit: *et genera-  
liter uniuersas donationes, QUAS IMPEDIRI DIXIMVS,  
ex Oratione valebunt.* Quae autem sunt donationes im-  
pedi-

peditae? Non magis promissiones ex causa donationis,  
 quam traditiones prohibitas censet *Noodtius*. Aliter sen-  
 tio. Loquitur enim de donationibus inter virum et uxo-  
 rem moribus prohibitibus, ob specialem rationem. Stipu-  
 lationes autem donationum inter omnes olim non valu-  
 isse probauit. Postremo tandem litem sepelire iubet *Con-  
 stitutio IVSTINIANI* in *Nou. 162. c. 1.* lata *Arione* (alii  
*Appione*) *Conf. a Chr. 539.* qua, cum huc usque dimica-  
 tio fuerit: an inter coniuges donatio promissa ad agen-  
 dum sufficiat, Imperator, suaem iam ante datae Constitu-  
 tionis memor, (illius sine dubio, quae in *L. 35. I. 5. C. de  
 Donat.* inuenitur,) etiam promissionibus inter coniuges  
 robur addidit. Miraris forte qui potuerit *A. 539.* ea de-  
 re contentio agitari, cum *Lex 35.* iam *A. 530.* lata fuerit.  
 Ita de hac re iudico. *Iustinianus* per *Leg. 35.* donationes  
 generaliter ratas habuit, licet desit traditio. Bene, an ma-  
 le hoc factum sit, non disquiram hac tractatione. Profe-  
 sto, non mediocriter titubat mens, si causas, traditionis  
 necessitatem mouentes, ad nouae Legis *Iustiniani* rationes  
 componamus. Lis igitur haud rara exoriebatur, an haec  
 dispositio etiam donationibus inter virum et uxorem ac-  
 commodanda sit. Si affirmantibus latissimus Legis tenor  
 aderat, negantes certe auxilio non destituti erant. Per-  
 petuae nempe blanditiae, aliaeque illecebrae saepe con-  
 iuges in deliberandi grauitate impediunt. Adeoque vi-  
 tio verti illis non poterat quod, ea ratione commo-  
 ti, Legem restringendam duxerint. Utinam haec pla-  
 cuissent *Iustiniano!* Displicuisse miror. Liquefactum ta-  
 men opinor, reiiciendam esse *Noodtii* aequitatem, quam  
 ad suam defendendam sententiam in consilio habuit. Ce-  
 terum me non latet, *Glossatores* hanc *Nou. 162.* non agno-  
 scere, nihil tamen cohibere poterat, quo minus varia-  
 tem

tēm Legum inde demonstrem, potissimum cūm primum  
caput etiam *Libr. Basil. XLVII.* in fine inueniatur.

### §. XXIX.

Senatus Consulto ab erroribus purgato, in capita eius inquiram. Prima pars orationis est historica, antiquum ius moribus introductum enarrans, quod iam explanatum dedi. Altera antiquam faciem commutat, in aliquibus casibus vero mores confirmat. Supra intelleximus eas tantum donationes, quae immoderatam profusionem p̄ae se ferebant, atque paupertatis suspicionem excitabant, moribus impediri; reliquias illibatas manere. Oratio autem donationes, mōre maiorum validas ita non circumscripsit, ut demum morte donantis plene conualescant, sed statim proprio iure valent. Confirmat sententiam **VLPIANVS** in *Lege 32. s. 23. h. t.* ante copiosius explicata, verb: *Vniuersae donationes, QVAS IMPEDIRI DIXIMVS, ex Oratione valebunt.* Conspicrat *Antonini* voluntas, qui, ut loquitur **VLPIANVS** *all. l. pr. aliquid laxare voluit ex iuris rigore.* Sed haec temperatio in severitatem omnem inclinaret, si poenitendi potestas etiam ad donationes, ob aequitatem et religionem moribus plene corroboratas, protendatur. Ad donationes itaque moribus fractas solum Orationis nota forma spectat. De iis ordinat: ut poenitere quidem donantem liceat, morte autem, reuocatione non facta, donatio confirmetur. Nouum hoc est, siquidem donationes ex arbitrio donantis alias non reuocantur, aequitate tamen deprehendo commendatissimum. Cogites, rogito, quanta animi leuitate mortalium genus, non dicam in referendo, sed agnoscendo beneficio versetur. Accepta gratia, quam humili et sordido modo non raro ambi-

ambiunt, ingratisimo animo memoriam beneficii depo-  
nunt, ut et ab aliis recordationem refricari stomachen-  
tur. In tanto ingraescente ingratitudinis vitio, a quo  
coniugium plerumque non modo non habet vacatio-  
nem, sed frequens potius cernitur, optimo consilio Im-  
peratores haec frena iniecerunt. Sciunt nimurum coniu-  
ges quouis tempore ad poenitendum patere viam, quam  
gratus tandem animus occludit.

## §. XXX.

Posteaquam ergo explicui, quam formam dona-  
tiones inter Virum et Vxorem ex Senatus Consulto in-  
duerint, non difficile erit eorum sententiam profliga-  
re, qua his etiam temporibus ipso iure nullae haben-  
tur donationes. Ad liquidum iam docui neque mores  
conspirare. Non autem tantum nulla contraria ratio, sed  
grauiores causae suadent, ut aliud statutum non creda-  
mus. Quid multa. *Lex 32. §. 1.* perhibet: *Oratio autem  
Imperatoris nostri de confirmandis donationibus non solum  
ad ea pertinet, quae nomine uxoris a viro comparata  
sunt, sed ad omnes donationes inter virum et uxorem fa-  
ctas, ut et IPSO IVRE RES FIENT EIVS CVI DONA-  
TAE SVNT, ET OBLIGATIO SIT CIVILIS.* Haec  
omnia uno corrumperentur impetu, si ipso iure nullam  
reputemus donationem. Quod nullum est nullum habet  
esse tum; Ergo nec eius fieri posset res, cui donata est;  
Obligatio pariter ciuilis dimanare nequit. Sciendum  
est insuper dissentientium sententiam officio iudicis, ab  
*Vlpiano informato, non conuenire.* Quod si enim in  
obscuro sit, (scilicet an poenituerit donantem,) procli-  
uor esse debet iudex ad comprobandum donationem.  
*Leg. 32. §. 4. D. de Donat. int. Vir. et Vxor.*

F

§. XXXI.

## §. XXXI.

Superest ut postremo loco de Iure Codicis dicam. Magnus mihi futurus Apollo, qui ullo ex vestigio mihi probauerit, donationes ipso iure nullas esse. Contrarium undique oculis obuersatur. Quam ob rem ea tantum commemorabo, quae obseruationes, ad Ius Digestorum directas, illaqueare videbuntur. Tempora Constitutionum *Antonini, Alexandri, Gordiani, Diocletiani, Maximiani, Constantini, et Iustiniani Imperatorum*, titulo de *Donat. inter Vir. et Vxor. insertarum*, ut decet, scrutans, facile mihi dabit, compilantes Digesta tenorem ignorare non potuisse, certe non debuisse, ut proinde vix excusationem habeat, quod quaedam obliuioni tradiderint. Sed iam dudum constat, multa in Digestis reperiri, quae antiquus Iustinianus Codex abrogaverat. Quapropter dicam illis iure scribo, qui, inertia duce, temporis curam in Codice spernunt, et rerum suarum satagere dicunt, cum sciant Codicem hunc exantlatis Institutionibus et Digestis, elaboratum, publicaque Imperatoris auctoritate stabilitum esse. Verendum est vehementer, ne haec ignavia aliis inertiam afferat. Languescente enim discendi feruore, inter crepundias discessre iura mirifice delectat. Ita breui tempore tota Iurisprudentia ulcus erit. Paucis vos cupio desidia fatellites. Legite, et relegite *IUSTINIANI Constitutionem de Emendat. Cod. Iustin. et sec. eius edit.* Perpendite voluntatem Imperatoris. Dicit in §. 3. *Vt undique non solum Institutionum et Digestorum via dilucida et aperta pateat, sed etiam Constitutionum nostri Codicis plenum iubar omnibus clareat.* Otium hoc non fecit Iustinianus. Excitat potius animos, ut studiose circumspiciant tempora, quo Legum illustretur historia, et planum fiat, quid


quid Institutionibus, quid Codici ad intelligendum de-  
seruat. Ex quo fit, ut saepius in Codice repetitae praec-  
lectionis Constitutiones abrogatae sub eodem titulo de-  
prehendantur. Omnes Leges in hoc titulo Codicis, ad  
vicesimam quintam usque, ad prisca iura, in Digestis  
iam obuia, pertinent. *Lex 25.* quae *Iustiniani* est, dona-  
tiones morte confirmandas arctioribus limitibus constrin-  
git, ut ultra legitimam quantitatatem ratae non sint, nisi  
insinuatio iudicialis accesserit. Quantitatis summam qui-  
dem *Iustinianus* ad quingentos solidos definiuit *L. 36. C. de*  
*Donat.* Sed in propatulo est *Iustinianum* neque de hac  
summa, neque de trecentis solidis, de quibus ante con-  
stituerat, *L. 34. C. eod.* eo tempore cogitasse, siquidem  
*Lex 34. A. V. C. 529.* et *Lex 36. A. 531.* latae sunt; *Lex ve-*  
*ro 25. C. de Donat. inter Vir. et Vxor.* iam *A. 528.* prodi-  
xit. Proinde verius est, *Iustinianum* quantitatem ducen-  
torum solidorum, cuius mentio sit in *S. 2. Inst. et L. 34.*  
all. a *THEODOS.* et *VALENT.* *L. 8. C. Theod. de Spon-*  
*fal. et ante nupt. donation.* determinatam, ante oculos ha-  
buisse. Cerera in *L. 25.* contenta nihil noui tradunt, quan-  
doquidem et Digestorum iure obtinuit, ut confirmatio  
ad tempus referatur, quo facta est donatio. Si enim, ut  
demonstratum iui, fas non fuerit heredem eripere, et  
iam commoda usque ad mortem percepta, plene sequi-  
tur, nec repetendi ius esse potuisse. Ad donationes autem  
sine traditione factas nihil hanc Legem respexisse,  
supra fusius demonstrauit.



( 16 )

duis legitimis, dicitur quod in haec immixtum est.  
Iamque. Ex quo illi in libris in quibus testimoniis licet  
legimus. Confimatores aliosque in loco sicutus modo ad  
presbiteratus. Omnes teles in loco cuiuslibet presbiteratus  
visceremus dominum suum. ut quodcumque in Dilectione  
iusti opini. Desiderior. Tunc deinde. Testimonia si bona  
hocesse posse continemus. In quibus amissione et ceteris  
testimoniis in libris scilicet. Quoniam testimonium de  
eum per amicum de aliud loco loquitur. Et sic eis  
viam. sed in probacione de testimonia non possit  
fingi. sed in eis quodammodo tamquam sicut contigit  
in libro I Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8. quod dicitur  
Tunc enim ergo. sed etiam in libro 1 Cor. 11. et  
1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8.  
Propterea vero est. in amicorum diligitionem ducere  
ad hoc. etiam in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et in libro 2 Cor. 8.  
et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 11. et  
in libro 2 Cor. 8. et in libro 1 Cor. 14. et in libro 2 Cor. 8.






Helmstedt, Diss., 1750/52

X 2309095





DISSE NTATIO IN AVG V RALIS  
DE  
**DONATIONIBVS**  
**INTER VIRVM ET VXOREM** 20  
**NON IPSO IVRE NVLLIS**

QVAM  
SVB PRAESIDIO  
**D. GODOFREDI LVDOVICI**  
**MENCKEN**

SERENISS. DVCI BRVN. ET LVNEBVRG.  
A CONSILIIS AVLICIS ANTECESSORIS  
IVRIS ORDINAR. FACVLTATIS  
IVRID. ASSESSORIS  
ET ACADEM. H. T. PROREC TORIS

PR O  
**GRAD V D O C T O R I S**

AD DIEM XVII NOV. A. I. S. CICICCLII

IN IVLEO MAIORI

DEFEND ET

**HENRICVS FRIDERICVS HAKE**  
BREMENSIS

HELMSTADII EX OFFICINA SCHNORRII

